

9. corol. 2. & Ern. Cothm. volum. 3. resp. 16. per tot. Tusch. in pract. conclus. voc. adulterium, conclus. 222. An similes natos stuprata cubilia faciant? Vide Eberh. Speckh. cent. 1. q. 79. 7. cum seqq. Fallacem similitudinem esse tradit ex aliis Dn. Henr. Bessel. vol. 1. differ. decis. 2. th. 2. p. (mibi) 42.

ARTICULUS CXXI.

Pæna digamiae, & consequenter polygamiae.

Digamiam, sive polygamiam juxta normam divinæ legis examinans toto animo exhorresco, & eam sacratissimis displicuisse Impp patet ex l. 2. C. de incest. nupt. Imò infamiæ nota inuritur polygamis, & capitale supplicium iisdem decernitur, Matth. Berlich. part. 4. concl. 18 per tot. Farin. de delict. carn. q. 140. & copiosus hac de re sum disc. Acad. 1. concl. 5. Eberh. Speckh. cent. 3. class. 1. q. 3. p. (mibi) 78. Non temperare me possem seriis jocos & sales inferere. Duxerat quis in Galliâ uno tempore quatuor uxores, & cum capite esset mulctandus, ad locum supplicii adducebatur, obviû habuit ille Carolum Regem, qui illum ad se vocari jussit, & vocatû interrogavit, quâ de causâ traderetur. Cui respondit: Quatuor duxi uxores uno tempore. Tunc Rex, ego, qui Rex sum, unam tantum habeo, tu autem quatuor habere voluisti, nonne te pudet? At damnatus subjunxit. Deceveram ego etiam unicam habere, sed bonam, at, cum primam duxissem, malam sum expertus, propterea secundam accepi, quam cum primæ similem inveni, accepi tertiam, & eadem ratione quartam duxi cæteris longè pejorem. Quapropter omninò statueram à ducendis uxoribus non cessare, donec unam invenissem, quæ bona esset. Quo lepido responso delectatus Rex illum morte liberavit.

ARTICULUS CXXII.

Pæna mariti & parentum prostituentium uxores & liberos.

Maritus uxorem suam prostituens, tanquam adulter puniendus est per tradita à Matth. Steph. hic, in fin. Ut proprium parentis est benè educare filias suas: ita eas prostituere pessimi exempli, & mali parentis est. Est quidem apud Lucianum in Amatoriis pessima mater lena, quæ filiam rudem & imperitam artis meretriciæ instruit. Virginius filia suæ honorem ipsimet filia anteponendum esse existimavit, l. 2. §. 24. ff. de O. 1. sed rectissimè apud Aristeam (licet ejus auctoritas à Iosepho Scaligero, & aliis in dubium vocetur) Ptolomæo Philadelpho, Ægyptiorum Regi, quadragesimus primus, ex septuaginta interpretibus, interroganti, quæ esset maxima negligentia? respondit: si quis non curat liberos, nec eos educando, quàm diligentissimè informat. Nam oramus, inquit, Deum semper, non tam pro nobis, quàm pro liberis nostris, ut illis adsint omnia bona. Ut in semente spes posita est messis: Ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pendere putatur pœnitentiæ. Vide Besold. in laud. fun. Neyfferi, p. 23. Quare parentes

rentes